

Io. Laurentii Moshemii ... Commentatio de divortio, von den in dem Neuen Testament begründeten Ursachen der Ehescheidung, methodo demonstrativa conscripta et ... recusa ac emendata / [Johann Lorenz Mosheim].

Contributors

Mosheim, Johann Lorenz, 1694?-1755.

Publication/Creation

Jenae : Apud J. C. Strauss, 1757.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/k4juwaeq>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

18
IO. LAVRENTII MOSHEMII

ABBAT. MARIAEVALL. ET MICHAELSTEIN.

SERENISS. DVC. BRVNSVIC. ET LVNEB. A CONSIL. CONSIST.
ET ECCLESIAST. REL.

COMMENTATIO

DE

DIVORTIO

Von den

In dem Neuen Testament begründeten Ursachen

der Ehescheidung,

METHODO DEMONSTRATIVA
CONSCRIPTA

ET

POTISSIMUM IN GRATIAM LL. CVLTORVM
RECUSA AC EMENDATA.



18
IENAE APVD IO. CHRISTOPH. STRAVSSIUM
AN. CIO MDCC LVII.

TO LAYERS WITH MOUNTAIN

STATIONARY ENGINEERING
AND
MACHINERY

COMMITTEE

DIVISION

STATIONARY ENGINEERING

AND
MACHINERY

58700(18)





Σ Τ Ν Ο Ψ Ι Σ.

- §. I. **N**otiones de Diuortio scitu necessariae.
- §. II. Instituti Ratio.
- §. III. Fundamenta Diuortii.
- §. IV. Datur Diuortium.
- §. V. Non vero ob solum Consensum vnius Coniugis,
- §. VI. Neque ob utriusque Coniugis Consensum.
- §. VII. Sed legitimas ob causas a Iudice explorandas.
- §. VIII. Iudex Diuortii.
- §. IX. Norma Diuortii iuxta scripturam sacram.
- §. X. Generalis causa Diuortii.
- §. XI. Specialis causa altera scilicet desertio malitiosa.
- §. XII. Specialis causa altera scilicet adulterium.
- §. XIII. Causae aliae adulterio equipollentes.
- §. XIV. De Diuortio improprio.

§. I.

DIVORTIVM hic non pro Diuerticulo quouis, quem vocis huius significatum adducit VIRGILIUS Aeneid. IX. v. 397. & TACITVS, sed pro Dissolutione Matrimonii inter

Notiones de Diuortio scitu necessariae.

Matrimo-
nii defi-
nitio.

*Coniuges Superstites legitima sumitur. Per matrimo-
nium vero intelligimus legitimam societatem Maris
& Fœminæ procreandorum primario liberorum gratia.
Hinc patet, cum nulla plane societas neque iniri
neque consistere possit absque Pacto, Matrimonium
quoque iniri & continuari Pacto, siue Consensu mu-
tuo duorum pluriumue in idem Placitum tollendi aut con-
stituendi Iuris perfecti causa. Varia Diuortii syno-
nyma afferre non opus est: sufficit monuisse, Græ-
ce dici βιβλίον ἀποσασίς δέναι Matth. XIX, 7. &
ἀπολῦσαι. Hebræis autem vocari כרתור. Matri-
monium vero aut reuera est (legitimum) inter*

Diuortium
quid?

*Coniuges, aut varias ob causas pro eo tantum
habetur, reipsa vero nullum est: Adeoque duplex
Diuortii, si late sumitur, Genus constituitur;
alterum Diuortii genus magis ex usu mero lo-
quendi quam iusta causa est Dissolutio legitima Ma-
trimonii, ut ita dicam, putatiui, reuera vero nullius;
Alterum est Dissolutio legitimi Matrimonii. Confu-
sionis euitandæ gratia illud vocabimus Diuortium
improprium, hoc vero proprium.*

Est vel
proprium
vel impro-
prium.

§. II.

Instituti
Ratio.

Primo autem rationem proprie sic dicti Di-
uortii hic explanabimus, tum quoque quædam,
quæ circa alterum eius Genus notanda veniunt,
adiiciemus. Si quis vero non omne, quod de hoc
dici posset Argumento, dictum esse hic depre-
hendet, mihi hoc ignoscet facile, cui quippe ani-
mus fuit, de Matrimonii Nullitate tantum ea mo-
do disquirere, quæ fundamento esse possunt scrip-
ti proxime edendi contra Dn. P. EL. TRAVT-

MANNI

MANNI *Acta Curiosa* CIO 15CC XIV. Halæ edita & CIO 15CC XXIV. ibidem recusa. Circa proprium autem Diuortium sæpius cum tot emergant Difficultates, vt eruditissimi quoque Viri sua in eo exercere Ingenia operæ sibi multum dederint: errorem si quis hic commissum esse putaret, is mihi eo minus hoc magno dabit vitio, quo magis hactenus inter se dissenserunt Viri in quouis eruditio- nis genere præstantissimi. Nota enim est Contro- versia, quæ per aliquot annos scriptis mota est inter Virum illustrem I. H. BOEHMERVM aut po- tius DN. KAYSERVM & Celeberrimum I. M. LAN- GIVM. (a) Huc etiam pertinent, quæ de eo dis- serunt STRYKIVS, (b) SELDENVS, (c) BRVCK- NERVS, (d) MILTONVS. (e)

§. III.

Non immerito autem solide omnia tractaturi generalium loco Axiomatum præsupponimus

I.) Iniuriam nemini esse inferendam:

II.) Cum vero id resiliendo a pactis quam maxime fiat,

Funda-
menta
Diuortii.
Axiomata.

I.
II.

A 3

III.) Pa-

(a) in Tr. Beweis, dass die Diuortia iure naturæ verboten, etc. it. Göttlich-triumphirende Wahrheit seines gründlichen Beweises etc. conf. eius Tr. de Nuptiis et Diuortiis Diff. VI.

(b) Disp. de Diuortio totali ob insidias viræ structas.

(c) in Tr. Vxor. Hebr. lib. III. cap. XVIII. fin. it. in Iure naturæ et gent. circa discipl. Hebr.

(d) in Tr. Decisiones Iuris Matrimoniales.

(e) in Doctrina de Diuortio. it. eius Defens. vid. BAYLE Diction. tom. III. vid. Milton.

- III. III.) Pacta quoque esse seruanda neque ad lædendum alterius ius perfectum frangenda esse, aut ab iis prius non dissiliendum, quam ab altera parte pactum sit fractum. Ex quibus efficitur,
- IV. IV.) Vno paciscentium a pacto essentialibus resiliente, alterum absque læsione tertii ad seruandum pactum non amplius esse obstrictum, aut tamen propter suam iurium æqualitatem idem committere posse absque illius iniuria:
- V. V.) Vno paciscentium pactum sua culpa inualidum reddente, alteri liberum esse, pacto huic renunciare. Quæ uti sunt veritates euidentissimæ & accurate satis dudum euictæ ab iis, qui iurisprudentiam naturalem explanarunt: ita eis demonstrandis nunc non sumus occupati. Euidens porro est, teste experientia, ut longiori demonstratione non indigeat.
- VI. VI.) Quod multi hominum omne rationis dictamen suffocantes pro lubitu quoad essentialia datam frangant fidem, multi autem
- VII. VII.) Fidem sibi seruata non esse falso sibi persuadeant, quorum scilicet iudicium, de rebus alienis alias non fallax, cum sua res agitur, plerumque impeditur, quo minus, quid tunc verum aut falsum sit, colligere illi possint. Atque hi sæpius absque dolo malo in alius iniuriam pacta facere irrita cupiunt.

§. IV.

Datur Di-
uortium.

Hisce igitur præmissis multa nunc, quæ de Diuortio demonstranda sunt, clara cuius fient.
Nam

Nam (1) Divortium licitum esse aut dari, non amplius dubitandum est: Matrimonium enim pacto est initum & pacto continuatur. (§. 1.) Quamprimum igitur alter Coniugum, quod sæpius fit, (§. 3. n. 4.) Pacti matrimonialis fundamentum destruit: alterius coniugum, qui læsus est, obligatio ad servandum adhuc pactum matrimoniale cessat. (§. 3. nr. 4.) Dissolvitur itaque quoad læsum coniugem, si iure suo læsus uti velit, pactum hoc matrimoniale ipsum, deficiente scilicet consensu mutuo officia coniugalia amplius præstandi; (§. 1. med.) dissolvitur hæc coniugum societas, deficiente pacto (§. 1. init.) adeoque dissolvitur matrimonium ipsum, quod hætenus inter illos fuit; (§. 1.) id quod est Divortium (per Definitionem 1. §. 1.) Expresse etiam hoc confirmavit CHRISTVS, cum Matth. XIX. & V. Iudæorum nimis laxam de Divortiis doctrinam redarguens, quod divortium certas ob causas licitum sit, doceat; quem recte sequitur PAULLVS I. Cor. VII.

§. V.

Patet porro, (2) si quis Coniugum Pactum matrimoniale dissolvi velit, quod hoc ei ob solum eius Consensum arbitriumque nequaquam sit licitum. (a) Namque in re propria optimi sæpius homines in maximam alterius iniuriam pacta violare cupiunt. (§. 3. n. 7.) Ne hoc igitur fiat, cum pacta sint nullo modo frangenda, (§. 3. n. 3.) nequaquam quoque divortium facere in sola cuiusvis Coniugis potestate positum est. Non vero ob solum unius coniugis consensum. con-

constituti sunt potestate, aliud adhuc Argumentum obstat, quo minus alter Coniugum, altero inuito, Matrimonium dissolvere proprio ausu possit. (β) Etenim talis eo Autoritatem Magistratus, qui tamen corroborando & tutum reddendo initum hoc Matrimonium Ius quoddam in illud sibi acquisiuerat, eo magis læderet, quo maior a Principibus, de Pacto quodam inter nonnullos inito fidem suam dantibus, æstimatur illa læsio, quando alter paciscentium a promissis stare detrectat. Itaque cum a Pacto in læsionem tertii non liceat resilire: (§. 3. n. 3.) patet, ex hoc quoque fundamento vni Coniugum, altero inuito Diuortium pro lubitu facere non esse permisum. (γ) Palam omnibus hisce Argumentis præripit Ratio, quam suppeditat Norma omnium actionum Christianarum, sacra scilicet scriptura Noui Testamenti. Quæ expresse Matth. XIX. &c. certos tantum casus, inter quos solus alterius Coniugis Consensus plane referri nequit, in quibus Diuortium permitti possit, designat. Recte autem generaliter concludo, quod vti nec Maribus Vxore inuita, ita nec inuito Marito Vxor ex solo arbitrio Diuortium facere possit, quamquam Christus de eo tantum agat, quod Maritus pro lubitu non possit Vxorem dimittere. Etenim neque ex Iure Diuino reuelato siue Vniuersali siue Ebræis proprio, neque ex Iure Naturæ Vxor præ Maritis quadam gaudet prærogatiua: quod itaque in societate Matrimoniali Maritis prohibitum est, id quoque Vxoribus prohibitum esse censetur. Non amplius itaque dubium esse debet, vetitum esse cui-

cuius Coniugi, qui Nomen Christianum profiteri velit, vtcunque ipsi lubuerit, altero inuito Pacto renunciare Matrimoniali, nisi in Christum & Spiritum Sanctum ipsum verum Deum & nullis plane Legibus circumscriptum Legislatorem iniurius esse velit.

§. VI.

Intelligi etiam (3) ex dictis facile potest, quod, quamquam vterque Coniugum Diuortio consentiat, illud tamen ob merum eorum Consensum omnino non possit esse licitum. Sed hoc dictum esse nolo de iis, qui superiorem hoc in mundo non agnoscentes, Oracula Spiritus Sancti in nouo fœdere patefacta pro Norma Actionum suarum non agnoscunt; Hisce enim Coniugibus nihil obstare credo, quo minus, stante Conditione Consensus vtriusque, absque alia vlla Causa Diuortium facere possint. Qui vero Coniugum ad Christi & eius Apostolorum effata suam volunt conformare vitam, eis, siue liberi sint ab omni potestate ciuili, siue etiam illi subiecti, non obstante consensu mutuo vinculum conjugale rumpere est prohibitum. Eiusque euidentem Rationem subministrari posse arbitror ex ipsis Christi verbis Matth. XIX, 4. - 6. collatis Gen. II, 24. id planum est. Interrogatus enim Christus a Phariseis, num liceret Marito dimittere vxorem absque omni causa, absit: dicit, si enim Matrimonium in statu integritatis plane indissolubile est institutum, illud vero exemplar esse debet omnium subsequentium

Neque ob
vtriusque
Coniugis
Consensum.

Matrimoniorum, quomodo licebit vni tantum Coniugum modo alterum absque causa dimittere? Recte ita concludit Christus a maiori ad minus. Atqui, pergit Christus, verum est posterius, quoniam verum est prius, nimirum (1) Matrimonium indissolubile institutum est. ὁ ἔν ὁ θεὸς συνέζευξεν, ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω v. 6. XIX. Matth. Expresse hæc verba testantur de Matrimonio omnimode indissolubili. Et nobis, qui Christum habemus verum Deum & veracem, non liceret amplius inquirere rationem huius Theseos. Addit vero eam Christus v. 5. 6. ἐνεκεν τούτου καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα, καὶ προσκολληθήσεται τῇ γυναικὶ αὐτῇ. καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σὰρκα μίαν. Ὡς ἐκ ἓτι εἰσὶ δύο, ἀλλὰ σὰρξ μία. Hæc verba enim quamquam non ipse Deus sed Adamus Gen. II, 24. proferat, quin tamen ea instinctu Dei singulari sint prolata, nequaquam est dubitandum, cum Christus ea Matth. XIX, 5. ipsi attribuat Deo. Talem nexum plane indissolubilem inter Coniuges exprimit græca vox προσκολλάομαι & hebræa ei synonyma, item quod σὰρξ μία facti sint Coniuges. Ita demonstravit Christus antecedentis membrum prius. (2) Posterius demonstratione opus non habet, cum omnes societates dirigendæ sint secundum præcepta in eius institutione data, quæ vero ab Adamo Gen. II, 24. I, 28. suppeditantur. Non enim id, quod tempore futuro Adamus loquatur, impedit, quo minus eius verba habeam præceptiva, cum, quod pleraque præcepta ab Hebræis tempore futuro dentur teste deca-

decalogo, constet inter omnes. Insigne si opus esset, Argumentum pro veritate a Christo assertæ Doctrinæ exinde sumi posset, quod in ea adversarii nihil, quod excipiant, habeant; nam dubium saltem aliquod afferunt v. 7. & indirecte quasi per absurdum Christum confutare conantur ex præcepto Mosi de Divortio. Sed haud difficulter Christus eorum obiectionem elidit, monstrans v. 8. quod neutiquam Moses divortium præceperit, sed tantum permiserit Deut. XXIV, 1. ob Iudæorum duritiem cordis. Gratis enim Iudæi supponebant, quod loco citato hypothesis præcepti incipiat cum verbo וכתב explicantes particulam, per *tunc*. Quare vero ordinariam particulam, explanationem copulatiuam respuebant, neque, prout contextus urgebat, hanc thesin cum sequentibus usque ad versus tertii finem iungebant thesi præcedenti, ita ut a versu quarto membrum posterius aut hypothesis incepissent. Sic Iudæi ad divortia inclinantes ob levitatem cordis absque probatione præceptum a Mose habebant, quod tantum permissum modo erat. Non itaque Iudæi absque insigni peccato divortia faciebant. Neque enim exinde, quod circa Divortium factum Moses iussu Dei quædam mandasset, colligi poterat, Divortium non esse prohibitum lege diuina. Ecce enim Deus circa furtum factum leges præscribit varias in Pentateucho, an vero ideo lege diuina licet furtum facere? Ita quoque Deus præuidens Iudæorum malitiam, quod ob duritiem cordis sui Matrimonia secundum primævam Institutionem

non sint inituri aut potius continuaturi, præcepta circa Diuortium faciendum dedit, ne Iudæi peccata sua nimis cumularent. Hoc ergo sensu Christus Marc. X, 5. verba Moſis de libello repudiij vocat præceptum, non vero, quod Moſem Diuortium ipſum præcepiſſe putarit: alibi enim, cum Iudæi aſſerunt, Moſem Diuortium mandaſſe, Chriſtus Diuortium dicit tantummodo eſſe permiſſum a Moſe ſcilicet pœna ciuili non adficiendum. Videatur FLACII *Clauis Scripturæ Sacræ in loc. cit.* Prohibitum itaque erat in Veteri Teſtamento Diuortium ſecundum institutionem Matrimonij: qui vero mandato diuino obſequi nolebat, ei a Moſe Deut. XXIV. in tantum hoc permiſſe, vt (1) Legem v. 5. præſcriptam hoc caſu obſeruaret & (2) pœnæ ciuiles ob diuortium factum ab eo non ſumerentur. Deus enim Iudæos ob duritiem cordis ſui diuortium facientes pœnarum politicarum abſoluebat, quamquam peccati illos ideo non abſolueret: quemadmodum hodie crapulam ſimplicem exercentes impuniti id faciunt, quamquam grauiſſimo peccato ſeſe maculent. Res illuſtrari optime poterit exemplo crapulæ. Quando ex. c. Magiſtratus Politicus mandat, vt, qui ebrii ſunt, abſtineant iniuriis alij inferendis & tranquille domum ſuam reuertantur: licetne tunc lege diuina inebriari, ſi modo tranquille abſque vllius iniuria domum ſecedas? Nequaquam. Permittit vero Magiſtratus ebrietatem ita, vt pœnas politicas illi non infligat, vti Deus per Moſen Deuter. XXIV,

1...4. Diuortiam permisit: prohibet Magistratus ebrio iniurias cuiquam inferre, vti Deus Deut. l. c. prohibet dimittenti vxorem, quo minus dimissam vxorem denuo ducat. (a) Duo adhuc loca Veteris Testamenti obiici possent, quæ, quod Diuortium in Veteri Testamento mandatum; nedum Lege diuina prohibitum sit, videntur euincere. Conf. Mal. II. 15. 16. & Gen. XXI, 14. Non licet nobis in explicandis hisce locis esse prolixis: vindicari vero facile illa possunt ad nostram sententiam confirmandam. Nam quod Malachiæ citatum locum attinet, omnis res eo redit, quod LV-
THERVS τὸ שָׁחַב־כִּי שֵׁנָה interpretatus sit: *Wer ihr gram ist, der lasse sie fahren*: Apparet vero primo statim intuitu, quod Part. כִּי eodem imo maiori iure ob morem Hebræorum verti possit per quod, שָׁחַב vero tum Imperatiui tum infinitiui in Piel modi esse possit. Quod igitur hoc loco in Infinitiuo stet, docet tum contextus, in quod Diuortium Israelitarum frequens a Deo exprobratur, tum regula hermeneutica, τὸ שָׁחַב ob accentum coniunctiuum *Munach* cum præcedenti connectens, vt itaque scopum textus accuratius attingamus & regulas philologicas melius obseruemus, ita locum citatum interpretantes: quod oderit dimittere, id est Diuortium facere, testatur Deus Israelitarum &c. De loco Genes. XXI, 14. pauca monemus: vnicum enim est exemplum Diuortii facti,

B 3

facti,

(a) Conf. ex nostris Theologis B. ALE. FELDENIVS Politica Sacra p. 201. ex Reformatis HENR. HVLSIVS de prærogat. prisce Israel. Diss. I.

facti, quod speciali & expresse Dei mandato niti-
tur, quo eo minus generalem Diuortii permis-
sionem licebit probare, quo minus licet Regem
occidere eam ob causam, quoniam Iehu mandato
diuino Regem iuste occidit. Sed satis de Diuor-
tio in Veteri Testamento lege diuina prohibito.
Necesse fuit, vt aliquantum diffusius ea tractaue-
rimus, quo syllogismum a Christo ad euincendam
Diuortii prohibitionem Iudæis oppositum, a qua-
uis obiectione liberaremus. Quemadmodum ita-
que Christus in consequente syllogismi sui, quem
Iudæis opponit Matthæi loco citato, probat, Con-
sensum solius Mariti non sufficere Matrimonio
dirimendo: ita assumendo imo probando antece-
dens illius syllogismi Hypothetici confirmat Chri-
stus, Consensum *utriusque* Coniugum non esse
sufficientem: si enim Coniugium esse debet plane
indissolubile, non sufficit ad Diuortium Consen-
sus *utriusque* Coniugum. Postquam igitur Chri-
stus indissolubile, plane matrimonii vinculum de-
monstratum a Iudæorum dubiis vindicarat: v. 9.
nunc redit ad quæstionem propositam, dicitque,
eo casu, qui illi esset datus, (scilicet quando Vir
possit dimittere Vxorem) nunquam esse licitum
Diuortium præter λόγον πορνείας. Videtur hoc
contrarium esse priori, quod diximus, quod nem-
pe hominum matrimonium institutum sit indisso-
lubile, itaque & perpetuum esse debeat. Sed
nequaquam nobis contradicimus. Omnino in-
dissolubile esse debet matrimonium per institutio-
nem diuinam: at, quoniam Christus rem habet
cum

cum hominibus imagine divina priuatis, illis quoque Diuortium propter λόγον πορνείας concedit, quoniam aliter plane sese habent homines post lapsum ac ante eundem; neque enim in statu integritatis quisquam Coniugum aliquid commissurus fuisset, quod λόγον πορνείας in se habiturum fuisset. Ideoque Christus suo tempore lege diuina permittit, quod in statu integritatis non fuisset. Ast, dicis, si in Nouo Testamento diuortium interdum lege diuina non est prohibitum: in Veteri quoque Testamento illud easdem ob causas licitum esse debuisset. Respondeo: omnino propter λόγον πορνείας Diuortium locum inuenire potuisset in Veteri Testamento, sed Deus per Omniscientiam suam Iudæorum duritiem cordis non ignorans, quod nempe illi legi huic non parituri, sed leuiorem ob causam matrimonium diremturi fuissent, inutile noluit agere opus; itaque de Diuortio nihil, in quantum per legem moralem liceat, præcepit, imo potius Deut. XXIV. id propter ערוך ובר factum pœnis ciuilibus indignum esse iussit. Igitur Thesin nostram, quod consensus *utriusque* Coniugis diuortium non reddat legitimum, probamus ex Antecedente Syllogismi adducti, haud vero ex consequente, quo id tantum euinceremus, quod marito soli non sit concessum diuortium facere. Arbitror itaque, MOSEN AMYRALDVM (b) primo & tertio Argumento probanda non probasse, sed tria omnia ad

(b) In Tr. de Iure Naturæ circa Connubia p. 109.

ad vnum scilicet secundum eius Argumentum vocanda esse. Primo enim id tantum modo probat, quod duritiem cordis arguat, si maritus vxorem propter ערוה דבר id est turpitudinem aliquam repudiaret: de hoc enim Diuortio sermonem habent & Iudæi, & Christus, & Moses, neque constat, diuortium consentiente utroque Coniugum inter Iudæos fuisse solitum. Alia vero plane res est, absque consensu Vxoris, & propter siue cum consensu Vxoris Diuortium hoc facere, prioris non vero posterioris prohibitionem euincit cit. Autor. Ita quoque tertium Argumentum p. 114. nimis aut nihil probat, i. e. quod Matrimonium aut nunquam possit dirimi, aut omnino possit ob consensum vtriusque. Actio enim illa physica Matrimonium reddens societatem naturalem, cum aliæ societates tantum sint politicæ, (cui citatus Auctor substruit vinculum matrimonii plane insolubile) respectum quendam operatur perpetuum, qui nunquam cesfat. Sic vero nunquam omnino cesfare, hoc est, dissolui deberet societas quorundam Matrimonialis, quod tamen Amyraldus non vult. Si societas Matrimonialis ita est comparata, uti Parentum erga liberos, id quod citatus Auctor asserit: omnino ea Consensu vtriusque Paciscentium dissolui potest. Si enim Parentes consideras physice, quatenus liberos generant: nunquam eorum cum liberis societas dirimi poterit; relatio enim hæc per generationem orta est perpetua. Tunc vero hoc applicari nequit ad societatem Matrimonii, nisi absolute

solute eam nunc esse perpetuam dixeris. Si vero moraliter Parentes intelligis, qui educationis aliorumque curam habent: tunc eorum societas cum liberis omnino potest dissolui dissensu seu rectius consensu liberorum & Parentum, quando nempe liberi sese sustentandi media mature sibi acquirentes consentiunt, a Parentibus sibi non amplius alimentum præberi. Tantum de eo, quod non sufficiat consensus in utroque Coniugum ad dirimentum Coniugium. Addo hoc: si Magistratui Coniuges sese subiecerunt: hanc quoque ob causam, uti §. 5. nr. 6. demonstratum esse credo, non sufficiens est merus utriusque consensus ad nuncium mittendum Matrimonio.

§. VII.

Cum igitur neque unius (§. 5.) neque utriusque Coniugum consensus solus (§. 6.) Divortii causa sit sufficiens; attamen illud sæpius locum invenire debeat: (§. 4.) necesse est, alii negotium demandetur in Divortii quæsitæ causas inquirendi & nullo personæ respectu habito, num illud licitum sit nec ne, recte diiudicandi. Arbitratur, si coniuges imperio civili non sunt subiecti, merito ab utraque Coniugum parte eligitur, quippe qui eadem erga se inuicem potestate frui eodem iure merito utuntur. Huius quoque arbitri iudicio, in quo uterque antea sponte acquiescere decrevit, ambo litigantes ut acquiescant necesse est, nisi legi natura hominibus datæ studio fraudem velint facere. Quod si vero Coniuges Membra cuiusdam

Sed legitimæ ob causas a Iudice explorandas.

C

Rei.

Reipublicæ facta sint, certum est, tunc Diuortium eorum a Gubernatore illius Reipublicæ decernendum esse. Ratio est, quo iam huius Autoritate Matrimonium antea erat pro legitimo declaratum atque a quauis iniuria defensum: Cum igitur id irritum factum esse aut vnus aut vterque Coniugum prætendat: id necessario eius iudicio submittitur, qui ius & vim habet res dubias dignoscendi & sententiam de eis latam exequendi; id quod est Magistratus, solus id illegitimum reddens, quod antea legitimum pronunciarat.

§. VIII.

Iudex Di-
uortii.

Hac de Diuortio decernendo Potestas Magistratus refertur inter lus eius Episcopale, rectius, cum Episcopi non sit *κρίευν*, Ius circa Sacra dictum. Nostrum non attingeremus scopum, si quod pontificii in Concilio Tridentino inique hoc Clericis vindicent, prolixè vellemus probare. Olim hoc eorum asertum non fuisse probatum, testatur Exemplum Regis Bohemiæ Primislai seculi XI. fine, qui omnino prius Consensum Imperatoris Philippi I. petere coactus fuit, quam Diuortium cum Vxore Misnica facere potuit. Eodem quoque Iure vsus est Imperator Ludouicus Bauarus in Ducem Carinthiæ. Conf. de eo illustris PETRVS DE LVDEWIG breuiter illud notans, (a) cuius fundamenta videre sunt in Tr. (b) Tot

(a) *im Entwurf seiner Reichs - Historie* p. 94. et 76.

(b) *Recueil des Traitez de paix, de Treve, de Neutralité,* tom. I. p. 233. b. p. 234. Amstelod. 1700. fol.

Tot autem propter malam plerorumque hominum mentem oriuntur de Divortio spinosæ quæstiones, ut summam rerum tenens plerumque solus hæc usus potestate eis iuste componendis sæpius non sufficiat. Quare recte hic delegat viris prudentibus, iisque, quæ huic inseruiunt satis instructis, qui autoritate delegantis in causas Divortii inquirentes ius dicunt. Hic virorum confessus inter nos Evangelicæ Religioni addictos vocatur Consistorium, cuius membra quot & quæ esse debeant, uti dictum, ordinarie a supremo rerum matrimonialium Iudice dependet, non vero ita, si is hac de re pacta quædam cum subditis iniit, quæ violare illi non fas erit. Eligit is alias, quos aptissimos esse videt, morum probitate & necessaria diiudicandi scientia præditos. Quæ cum non solum in Iureconsultos, sed etiam Theologos cadat, non ineptum est, hos tali Collegio adiungere. Namque fundamenta, ex quibus res Matrimoniales dubiæ iudicari debent, in Iurisprudentia diuina; præter alias Theologiæ partes solide & prolixè satis traduntur. Neque puto recte ita concludi: Theologi plerumque tantam Iuris Canonici cognitionem non habent, quantam Iureconsulti; ergo excludendi illi sunt plane Consistoriis. Nam quantum ad dirimendas matrimoniales causas ex iure Canonico scire opus est, ubiuis nunc in Ordinationibus Ecclesiasticis exponitur, quorum vero notitia non transcendit captum Theologi vel mediocri ingenio præditi. In eo, quod recte quoque Theologi eligantur Assessores

Consistorii, consentientem habemus Iureconsultum celeberrimum Virum, illustrem BOEHMERVM, clare hoc profitentem. (c) Plura dat Vir Summe Reuerendus BVDDEVS, (d) & Summe Reuerendus Io. GERHARDVS MEVSCHEN. (e)

§. IX.

Norma Di-
uortii ex
Matth. 19.
& 1. Cor. 7.

Nunc, secundum quam normam de Diuortiiis sit a Iudice decernendum, dispiciendum est. Pleraque eo redeunt momenta, quod ex Iurisprudentia Naturali (§. 3.) dictum est. Necesse autem est, ei adhuc aliam, quam Saluator noster Matth. XIX. & V. & Paullus 1. Cor. VII. nobis inculcauit regulam, adiungamus. Ea quod nobis instar regulæ esse debeat, nemini dubium erit, nisi qui Christi legibus obsequium ab eius discipulis præstari debere negabit.

Dubia re-
soluuntur
& BRVCK-
NERO re-
spondetur.

Ideo facile refutari posse autumo, quæ huic obiecit vir consultissimus BRVCKNERVS: (a) scilicet I.) quod Christus præceptum illud de Diuortio Matth. loco citato priuatis tantum hominibus, non vero magistratui dederit, ideoque id normam esse non posse diuortii decernendi. Nam hac ratione Magistratus Christianus plane non esset obligatus ad interdicens ciuibus suis quicquam eorum, quæ Christus fieri noluit, quoniam illi,

Argumen-
tum I.

(c) Iure Ecclesiastico Protestantium tom. I. lib. I. tit. 20. §. 30. pag. 630.

(d) Theologiæ Moralis part. II, cap. III. sect. VII. §. 33.

(e) in Diatribe, qua princeps et Director Synedrii magni Ebraeorum examinatur. Corb. 1724. 4. §. IV. f.

(a) in Decis. Iur. Matrim. p. 484. et 35.

illi, quibus præsentibus Christus reliqua sua dedit præcepta, maiori Magistratus dignitate non gauisi sunt ac illi, quibus Diuortium absque causa facere vetuit. Sed nec hac quidem responsione opus est. Annon enim Pharisei, a quibus citato loco interrogatur, quibus quoque respondet Christus, synedrium constituerunt? itaque non priuatis hominibus, sed membris Senatus Iudaici respondet.

Porro II.) exemplis circa hanc materiam diiudicandam non standum, sed regulis, id quod tamen agit citatus Autor prouocans ad praxin primitiue Ecclesiæ. Nam illa fuit varia circa Diuortii doctrinam: modo difficulter Diuortio concesserunt, quod post euerfa statim Hierosolyma factum est: modo facilius Seculo IV. & sequentibus, teste SELDENO. (b) Illa præsertim, quæ adducit citatus Autor testimonio NACIANCENI, HIERONYMI &c. esse nequaquam debent instar regulæ, cum in variis tunc iam doctrina Christi corrupta fuerit. Regulis itaque e Scriptura Sacra petendis standum est.

Argumen-
tum II.

III.) Tandem illud, quod citatus Autor §. 21. opponit: hoc Christi præceptum esse tantummodo datum iis, qui perfectionem Christianam anhelarent, itaque Magistratui ceu normam non esse

Argumen-
tum III.

C 3

præ-

(b) in Vxore Hebr. lib. III. cap. XXII. add. omnino IOANNES BAPT. COTELERIVS Not. ad Hermæ pastor. lib. I. mand. IV. p. 843. edit. Fabricii. STEPH. LEMOYNE in variis sacris tom. I. p. 291. DIONYSIVS PETAVIVS Diss. Eccles. lib. II. cap. VIII.

Causa Di-
uortii non
est ciuile
negotium.

præscriptum: illud, inquam, absque probatione dici puto, aperteque reliquias Papismi, quas ceteroquin tantopere averfantur Iureconfulti, redollet. Libenter quidem concedo, quod Magistratus non possit in praxin deducere vi seculari regulas virtutis aut punire secus facientes. Sed hoc quoque certum est, Magistratum Christianum non debere id permittere, quod voluntati diuinæ & Christi præceptis repugnat, si quod fiat, tantum a Magistratus permissione dependet: Alias enim non esset amplius Magistratus Christianus, sed plus quam Ethnicus, qui leges diuinas violari sponte non patitur, cum id euitare possit. Tale autem est Diuortium: repugnat enim Christi præcepto, si absque causa permittitur legitima; dependet autem tantum a concessione Magistratus. Aliter sese habet præceptum de euitanda crapula, scortatione &c.: hic peccatur contra præceptum diuinum absque concessione Magistratus, adeoque huius & illius alia plane est ratio. Hoc obstat præceptum, quo minus Iudex, consentiente & petente utroque coniugum, Diuortium possit pronunciare licitum, (§. 6.) quanquam Reipublicæ inde nullum eueniat damnum; quam de aliis valet pactis, quæ, cum alteri iniuria non fit, recte dissoluuntur consentiente utroque paciscentium. Exinde, credo, apparet, Diuortium non esse negotium mere ciuile, uti ex. gr. causa circa Testamenti rationem. Equidem non ignoro, obijci, quod res ipsa sit ciuilis, modus vero, iuxta quem circa hanc rem sit agendum, a Christo sit deter-

determinatus, prout Christus circa plura, quæ sunt res ciuiles, quædam monuerit ac præceperit. Hoc vero dubium exigui videtur esse momenti illi, qui considerabit, Christum legem moralem cap. VI. Matth. ab iniquis Iudæorum interpretationibus vindicaturum, nullius plane ibi mentionem facere, quod forum tantum ciuile attineret, cuius tantummodo modum agendi præscriberet. Cum igitur ibi Christus præcipue quoque in vindicanda Diuortii doctrina sit occupatus, omnino aberraremus a scopo sermonis, si Christum modum determinasse rei, quæ in se considerata mere sit ciuilis, diceremus. Facemus nunc rationem, quæ alias peti exinde solet, quod Matrimonium non sit pactum mere ciuile, adeoque neque eius dissolutio, scilicet Diuortium. Probandum enim tunc nobis esset, cum nonnulli Iurisconsultorum dissensiant, Matrimonium non esse pactum mere ciuile; quod tamen nostri non est instituti. Parum abest, ut dicam, dissensum Theologorum & Iureconsultorum saniorum hac in re videri esse de voce. Iam dudum enim nostrates Theologi a Matrimonio eliminarunt omnem sacramenti ideam, & si quæ amplius in ritibus Matrimonialibus superesse videntur reliquæ Papatus, eæ magis sunt censendæ aut viles consuetudines a Magistratu politico approbatæ ex. gr. Copula Sacerdotalis in templo: aut superstitiones non Theologorum directioni Ecclesiasticæ, sed vulgi moribus haud facile corrigendis adscribendæ. Adeoque, quando nostrates negant Theologi, Matrimonium & Diuortium esse negotium

Disensus
Theolo-
gorum &
Iurecon-
sultorum.

tium mere ciuile, non ita capienda sunt eorum verba, quasi docerent, latere adhuc in eo rem sacramentalem ac spiritualem, sed, ni fallor, id tantummodo intendunt, vt ne Matrimonium ob solum coniugum consensum disrumpatur, (quod in pactis mere ciuilibus fieri potest) grauius id vetante nostro Sotere; ideoque putant non recte Matrimonium dici causam mere ciuilem. Ex sanioribus vero Iureconsultis neminem scio, qui neget, ob solum coniugum consensum Diuortium non debere concedi, neque præceptum Christi Matth. XIX. omnino hic instar legis esse affirmet. Igitur eo tendere videtur dissensus inter Theologos sapientiores & Iureconsultos modestiores: num Matrimonium ideo possit dici negotium mere ciuile, quod pacti ciuilis formam aliquam habeat, an vero non mere ciuile, quod de eo in Novo Testamento quædam sint præcepta aut vetita; annon vero hæc lis est de voce in magnam partem. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ: neque velim existimet aliquis, me, quæ inter omnes hac de re ætate nostra disputata sunt, ad meras vocum pugnas referre, aut vtrinque interdum peccatum esse, negare.

§. X.

Generalis
Causa Di-
uortii.

Pacta legitime inita, dissoluuntur a paciscentibus viuentibus aut mutuo consensu, aut consensu alterutrius tantummodo paciscentis. Matrimonium est pactum legitime initum: (§. I.) non vero dissoluitur mutuo consensu accedente §. 6. & 9.) Nam §. citato euincitur, solum coniugis vtrius-

vtriusque arbitrium absque causa sufficiente dissoluendi coniugii non approbare Divortium. Sed mutuus consensus nixus causa tali sufficiente non existit. Da enim, illum existere, cum causa dissoluendi coniugii tantum sit quaerenda in violatione illius pacti ab altera parte facta, (§. 3. n. 3.) sequeretur, coniugem convincere posse socium suum fracti pacti, hunc vero illum non minus eiusdem, posse iure accusare, adeoque ab utraque parte fidem non esse servatam. Sed tunc neque vni neque alteri coniugi iniuria facta est, quoniam vno pactum violante, alteri idem licet. (§. 3. nr. 4.) Cum itaque nemini eorum iniuria facta sit, dissolutionem quoque vrgere nequeunt. Ergo non datur vtriusque coniugis consensus de Matrimonio dissolvendo cum causa eius sufficiente coniunctus. Itaque consensu vnius tantummodo coniugum Matrimonium dirimitur. Consensus vero de dissolvendo pacto aut rationem iustam habet, quia pacto diutius servando paciscens non est obligatus, aut eam non habet. Posterior hic incensum non venit; non enim dissolutionem pacti, de qua hic agitur, efficit, cum ad eam, quoniam pacta inviolabilia sunt, (§. 3. nr. 3.) causa requiratur iusta.

Iusta igitur causa est, I.) aut quando alter paciscentium suæ indulgens voluntati absque alia
 vlla ratione pactum servare in posterum plane non vult. Hoc evidens est non modo ex (§. 3 nr. 10.) sed ex eo præterea, quod natura ad impossibilia nemo sit obligatus: Pactum autem servare, sup-
 D ponit

Iusta causa
 divortii
 I.

ponit duorum hominum consensum & actum (§. 1.); cum vero alterius consensus per hypothesin defuit, alter solus pactum continuare nequit.

Aut II.) quoque, quando innocens paciscentium non quidem ob defectum consensus in altero paciscente de pacto continuando potest a pacto resilire: attamen ideo, quod alter pacti essentialia violarit, quare sibi licentia permisa sit renuncian-
di pacto. (§. 3. nr. 4.) Inter hasce duas causas omnes pacti dirimendi casus referri possunt. Vtraque vero causa supponit fractum ab vno pactum, quæ itaque causa est generalis Divortii. Sic quoque de pacto matrimoniali iudicandum, quod, si de lumine rationis quæstio est, non venit in dubium: sed etiam reuelatæ Theologiæ est consentaneum. Duplex quoque in eadatur causa, ob quam matrimoniale pactum dirimi potest. Si enim generalem Divortii causam, violationem nimirum pacti in Scriptura Sacra reperimus, specialis etiam admittamus necesse est. De generali vero causa disserit Christus cum Phariseis Matth. V, 32. dicens, Divortium non esse licitum *παρεκτός λόγος πορνείας*, id est excepta ratione fornicationis. Supponendum hic adhuc, quod infra (§. 12.) demonstrabimus, vocem *πορνείας* h. l. non de quavis re turpi, sed de fornicatione (quæ a coniugibus commissa Adulterium etiam vocatur) intelligendam esse. Hic vero probamus, quod vox *λόγος* non abundet, sed cum *πολύσημος* sit in Scriptura Sacra, hoc loco necessario exprimat rationem, causam, qualitatem. Et quidem quod *possit* hanc exhaust

Expositio
Matth.
V, 32.

Cardo rei
vertitur in
expositio-
ne vocis
λόγος,

exhaustire ideam, ex variis Noui Testamenti dictis, in quibus vox ita explicanda est, apparet. quæ euoluitur.
 Sic dicitur Luc. XVI, 2. ἀποδοῦν τὸν λόγον τῆς οἰκονομίας, & Matth. XII, 36. ἀποδώσασιν ὑπὲρ αὐτῶν λόγον.
 Lingua vernacula dicimus *Rechenenschaft*; quæ vero vox, vti græca, nihil aliud vult, quam dare & ostendere rationem, causam, indolem & qualitatem *die Art oder Eigenschaft* expensorum & acceptorum & muneris, quo ea functi sumus modo. Sed vt hunc præ cæteris omnibus significatum vnice huic loco aptum esse credamus, tum hoc nos adducit, quod absque tautologia aut absurdo reliquas huius vocis πολυσήμῃς significationes hic applicare non possis, exempli gratia, sermonis, verbi, filii Dei, loquendi facultatis: tum quoque hoc, quod alias diuus Paullus, id quod dicere impium esset, Christo contrarius plane foret. Nam ille 1 Cor. VII, 15. non modo vxori sed viro quoque licitum esse dicit, quando coniux infidelis siue ethnica ob mutatam focii sui religionem pacto matrimoniali stare nolit, τῷ χωριζέσθαι, id est secundum Matth. XIX, 6. diuortium facere. Nisi igitur nomen τῷ λόγῳ Matth. V, 32. explicare velles per *rationem*, eoque plures Diuortii causas, quam scortationem profiteri: ob vnicam tantummodo scilicet scortationis causam Diuortium Christus concessisset, Paullus vero ob plures. Dicis: disparem esse sermonem Paulli & Christi; agere enim Paullum de eo, quando alter coniugum officia coniugalia imposterum præstare plane nollet, tunc vero sponte per vim hanc ob

Vera &
genuina
interpre-
tatio ver-
borum
Christi.

causam diuortium fieri; Christum loqui de eo, quando iure Diuortium possit permitti. Ast respondeo, quod Diuortium per vim tantummodo factum ab vno coniuge sit nullum, sed per definitionem Diuortii legitimas ob causas adeoque de iure debeat fieri. Si itaque ex concessis pertinax officiorum conjugum denegatio Diuortium importat, id quod diuus Paullus confitetur: omnino præter scortationem alia adhuc Diuortii causa iusta esse debet ex mente Paulli. Quæ cum menti Christi non sit contraria: Christus Matth. V, 32, de iustis Diuortii causis agens, vnicam tantummodo eius causam esse, docere nequit, nisi præsertim voce, quæ plures etiam sub se complecti potest. Nam dictum Christi: *παρεκτός λόγος πορνείας*, nisi vocem *λόγος* superfluum plane esse dixeris, ita debet explicari: *excepta ratione adulterii, & suppleri, excepto eo, quod qualitatem habet scortationis.* Certe exemplum præter hoc nullum in Nouo Testamento animo meo occurrit, in quo duo articuli se inuicem sequentes & elliptice omis- si sint supplendi. Sed quid obstat, quo minus vnicum hoc exemplum Noui Testamenti probare dicam, græcos per ellipsin duos quoque articulos quasi deglutire: cum hanc explicationem suadeat harmonia eorum, quæ Christus & Paullus præceperunt; imo etiam sint sæpius græcismi, quorum vnicum tantum in Nouo Testamento obstat exemplum. Quod si vero negat quis, duplicem hic esse ellipsin: is tamen hunc verborum sensum secundum regulas interpretationis concedere

dere debet: *præter id quod rationem habet scortationis.* Multa vero nunc sunt, quæ inter coniuges rationem scortationis habent. Quid enim aliud est scortatio, seu adulterium a quodam coniuge altero inuito commissum, quam violatio spontanea essentialium (liceat termino tecnico uti) pacti matrimonialis partium, cum consensus eorum præcipue de corpore sibi inuicem, non vero alii præbendo datus sit.

Quocunque igitur violantur essentialia pacti matrimonii partes, illud habet rationem scortationis: estque causa legitima diuortii.

At pluribus modis quam scortatione essentialia pacti matrimonialis partes violantur teste Scriptura Sacra; id quod nunc vberius considerare licebit. Duplici violantur modo, uti quoque lumen rationis duo violati pacti genera docet: alterum est, quando coniux absque alia vlla causa pactum matrimoniale perpetua pertinacia plane non vult colere, eoque socium ad rumpendum pactum cogit: alterum, quando quidem coniux altera vult pactum seruare, contra illud vero ita fecit, ut læsa pars debiti coniugalis plane absolui possit. De utroque genere, ceu speciebus generalis causæ diuortii agit Christus: de priori vero speciatim Paullus 1 Cor. VII, 15. Neque enim, id quod quis excipere posset, saltum committimus, ex speciali causa desertionis, cuius diuersæ religionis coniux rea fit, argumentum vniuersalis malitiôsæ desertionis ducentes: nam hoc vult Paulli scopus & adducta suæ sententiæ

Essentialia
pacti ma-
trimonia-
lis duplici
modo vio-
lantur.

I.

II.

ratio generalis: ἐν εἰρήνῃ κέκληκεν ἡμᾶς ὁ Θεός. De quo igitur coniuge compertum habetur, quod ob æque horrendam & constantem, a socio suo aduersationem, ac tunc habebant ethnici superstitioni a Christianis, coniugem dereliquerit, & quod æque minus inter illos pax seruari possit ac inter coniuges, quorum vnus ex superstizioso zelo alteri coniugi ob mutationem religionis inuidet: huic, inquam, coniugi diuortium conceditur ex sententia Paulli, qui perpetuum & capitale odium causam diuortii vltimam habens, coniuges, quorum vnus ad castra alia transit, vinculi sui matrimonialis absoluit. Quamquam penes Magistratum est, imo potius ei necessario incumbit, huncce desertorem, si imperium in illum gerat, ob fractum pactum, cuius causam non habet sufficientem, pœnis adficere debitis. Nam si derelinquens odii sui culpam iustam afferre potest, nequit vocari malitiosus desertor, eiusque diuortium non ad illam referri poterit classem diuortii, de qua Paullus agit.

§. XI.

Specialis
causa, de-
sertio ma-
litiosa.

Nunc itaque videndum, quot casus accidere possint in quibus absque alio crimine antecedente ob pertinacem debiti coniugalis denegationem Diuortium decerni debeat, id quod vacauimus prius Diuortii genus. (1) Primo quidem huc pertinet *malitiosa desertio*, quæ, quo minus Matrimonium dirimat, a nemine neque Theologorum neque Iureconsultorum in dubium vocatur, si Reforma-
tos

tos excipias. vid. IACQVELOTVS *de l'Inspiration de l'Ecriture*. Recte sane. Nam eo pactum antea initum non modo culpa desertoris inualidum redditur, sed & per rerum naturam & pacti matrimonialis definitionem fieri nequit, ut deficiente altero paciscente pactum diutius continuetur. Ast altero paciscentium pactum sua culpa reddente inualidum, innocenti licet pacto renunciare. (§. 3. nr. 3. & 4.) Expresse etiam Paullus hoc Diuortii causam vrgentem esse, 1 Cor. VII. indicat vid. §. præced. Nonne enim is odium perpetuum & summum in coniugem foueret, qui officia coniugalia euitaturus plane aufugit, quoduis periculum negligens? Quamprimum igitur euinci potest, aufugisse coniugem & ad satisfaciendum pacto frustra aliquoties citatum redire nolle: innocenti coniugi licentia danda est, priori pacto nuncium mittendi. (2) Pacto etiam rumpendo ansam dat, qui quidem coniugem malitiose non deserit aufugiendo, ast concubitus conjugalem constanter denegando, vid. Summe Reuerendus BVDDEVS, (a) celeberrimus LANGIVS, (b) BRVCKNERVS. (c) Hic enim concubinatus pars est essentialis coniugii, & illud ipsum, ob quod matrimonium ineundum est. Sed vno paciscentium a pacti essentialibus resiliente, alter pacto non amplius tenetur. (§. 3. n. 4.) Idem docet Paullus loco citato. De eodem enim, qui hic in censum venit, casu

(a) in Theologiæ Moralis part. II. lib. III. sect. VI. §. 10.

(b) in Tr. de Nuptiis & Diuort. p. 139.

(c) in Decis. Iur. Matrim. p. 488. §. 18.

casu agit, quando nimirum coniux quidam non quidem plane aufugit, sed concumbendo officia præstare coniugalia recusat. Et quamquam solum ob pertinaciam, neque vero ob mutatam religionem alter alteri coniugi satisfacere nollet: sententia tamen Paulli lata hic applicanda esset, quoniam, licet non idem sit casus, eadem tamen causa Diuortii; nimirum euitatio odii perpetui & maximi. Sufficit igitur ad demonstrandum odium coniugis in socium suum conceptum & per denegationem amoris coniugalis perpetuam continuandum, quod neque seueritate neque lenitate nocens ad implendum pactum cogi potuerit. Et cum pacto friuole frangendo iniuria summa alteri inferatur, non impune pertinax talis coniux id recusare debebit, quod tamen respectu circumstantiarum habito determinabit Magistratus. Neque enim ab hoc deterreri poterit eo, quod Paulus fœdifragum coniugem pœnis adfici non iubeat. Nam plane inutile fuisset hoc præcipere, cum Christiani eo tempore imperio in ethnicos non fructi, a malitiose deserente coniuge nequaquam pœnas sumere potuissent; Ethnicorum vero Magistratus dicto Pauli non obsecuturi fuissent. Aliter scilicet non fiebat tale Diuortium eo tempore, quam si alter coniugum tenebris ethnici cultus sacri adhuc immerfus erat: coniuges vero, quorum uterque doctrina Christiana iam imbutus erat, maiori sacro feruore ac hodie præditi, a Diuortio plane abhorrebant V. SELDENVS. (d) (3) Pari quoque
pœna

(d) In Vx. Hebr. C. XIIII. p. 409.

pœna digni essent, qui concubitus non alio quam modo illicito exerceri vellent. Consenserunt etenim, atque per leges publicas consentire debuerunt coniuges de fine matrimonii legitime consequendo. Si quis igitur modo solum illicito pacto stare vellet, non minus eo ac omnimoda officii sui denegatione a primaria pacti parte resiliens Diuortii causam præberet. (§. 3. nr. 4.) Reuera enim non vult, quamquam is videri nolit, prout pactum pepigit, illi satisfacere: itaque & illo subiiciendum est iudicio, quod Paulus de malitioso desertore tulit. Deriuauimus Diuortii propter denegationem debiti coniugalis licentiam ex dicto Paulino, non quasi illa ex præcepto Christi Matth. V, 32. probari non posset, id quod facile esset: sed quoniam faciliiori modo ita scopum nostrum attingimus, vnica vero demonstratio sufficiens est ad euincendam veritatem.

§. XII.

Quod Diuortii genus posterius attinet, ad plura hic momenta attendendum erit. Extra omnem dubitationis aleam iterum positum est: Specialis causa altera, adulterium.

I.) Adulterium coniugem innocentem absol-
uere pacti, quod cum coniuge inierat, matrimo-
nialis. Etenim primarius hic est finis & pars pa-
cti matrimonialis. ex omnium confessione, coniugi
legitimo soli, non vero præter illum alii ample-
xum coniugalem concedere. Sed qui paciscen-
tium a primariis pacti partibus resilit, fœderato
suo causam præbet pactum penitus frangendi:

E

I.
verum:
(§. 3.

vindicatur
Matth. 19.
contra Ca-
tholicos.
ἐἰ μὴ
quid signi-
ficet?

(§. 3. n. 4.) hinc coniux innocens ad fidem adultero coniugi datam seruandam cogi nequit. Idem quoque fanciuit Christus dicens: Matth. XIX. & Marc. X. &c. *Diuortium non licere ἐἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ.* Audiendi hic non sunt Pontificii, qui particulam ἐἰ μὴ negatiue ita explicant: *neque ob scortationem.* Nam fere nunquam particula ἐἰ μὴ negatiua, sed aut aduersatiua, aut conditionalis, aut sc. hoc loco exceptiua est. Conf. celeberrimus STOCKIUS (a) & DEVARIVS. (b) Id quod confirmat Christus Matth. V. v. 32., quo in loco expresse particula vnice exceptiua utitur vid. Summe Reuerendus BVDDEVS. (c) Itaque certo constat, ob πορνείαν coniugi innocenti licere diuortium facere cum adultero. Sed quid πορνεία significet, dissentienti materiam eruditis dedit: caueamus vero, ne nimis arctam neque nimis laxam de eo formemus ideam. Sane illa vox *prostitutionem corporis quæstus causa* denotat Luc. XV, 30.: non vero opus est, vt talis scortatio ante patrata fuerit, quam Diuortium locum habere possit. Nam modo dicta quoque vox & quidem plerumque in Nouo Testamento adhibere generaliter solet de illicita quauis consuetudine, siue quæstus siue libidinis causa fiat vel inter personas solutas vel matrimonio iunctas. Superuacaneum est, multa de eo euoluere loca Noui Testamenti, quæ prolixè satis collegit citatus

STO-

(a) In Clauē Linguae S. Nou. Test. p. 358.

(b) In Tr. de Partic. Græc. p. 161. 164.

(c) In Theol. Mor. P. II. C. III. Sect. VI. §. 12.

STOCKIVS. (d) Vnicus hic sufficit locus Aët. XV, 20. 29. ex quo satis apparet, quod πορνεία soleat quamvis illicitam consuetudinem exprimere. Non enim probatu dignum est, solam scortationem quæstus causa factam, neque potius illicitum quemvis amplexum Christianis νεοφύτοις esse prohibitum. Ideo, cum generalem illiciti concubitus significationem habeat πορνεία: recte quoque Christus ea specialiore illicitæ consuetudinis actionem innuit, quæ est adulterium i. e. illicita consuetudo inter personas, quarum aut vna aut vtraque matrimonio iuncta est. PHILONI etiam (e) illa vox idem est ac adulterium: Et amplius quid, quam scortationem eo intelligi, suo applausu probat SELDENVS. (f) Genuina hæc est πορνείας idea, neque vox illa præter iam dicta exhaurit quoque cuiusvis turpitudinis notionem. Hoc quidem demonstrare annitur SELDENVS: (g) verum officio suo parum satisfacisse mihi videtur. Exploratum hoc esse puto, locum Noui Testamenti nullum afferri posse, in quo nomen πορνείας aliter sumatur proprie, quam de illicito coitu in primis nuptæ. Et absque urgente necessitate SELDENVS (h) a consueta discedit explicatione loci Paullini I Cor. V, 1. ὅλως ἀκέεται ἐν ὑμῖν πορνεία,

confuta-
tur SEL-
DENVS.

E 2

καὶ

(d) Tr. cit p. 873. et PASOR. in Lex Græc. Lat.

(e) in Tr. de special. Leg. ad præc. sextum apud SELDENVM in Vx. Hebr. C. XXIII. p. 349.

(f) in Vx. Hebr. p. 350.

(g) Tr. cit. XXIII. toto.

(h) Ibid. p. 358.

καὶ τοιαύτη πορνεία, ἣτις ἔδὲ ἐν τοῖς ἔθνεσιν ὀνομάζεται, ὥς γυναικὰ τίνα τῷ πατρὶ ἔχειν. &c. ita eum interpretatus: *omnino auditur inter vos FLAGITIVM* (nostra versione legitur scortatio) *sive crimen sive deviantis animæ TVRPITVDO* ἢ *talis TVRPITVDO* &c. Cum enim de quavis illicita consuetudine in Genere adhibeatur πορνεία, quod supra ostendimus: non incongruum est, illam applicare ad singularem impudicitiae speciem, eamque accuratius adhuc determinare. Non me latet, SELDENVM Actorum loco citato alium eruerе sensum ex Concilii Hierosolymitani usitata πορνείας locutione: Sed, deficientibus argumentis indubitatis, mihi suam nondum persuasit sententiam. Per metaphoram dicitur homo πορνείαν commisisse in Deum i. e. pacto cum Iehouah inito non stetisse, maculando sese flagitiis variis: proprie autem πορνεία in Nouo Testamento nihil aliud est, quam illicitus concubitus. Quare, quamquam scriptores profani per πορνείαν denotent quamlibet rem turpem, hanc significationem tamen stilo Scripturae Sacrae obtrudere non posses, quoniam nefas est, significationem vocum profanis autoribus usitatam temere Sacrae Scripturae tribuere, praesertim si sacer Autor easdem quidem voces, non vero easdem vocum ideas cum profanis autoribus habeat. Sed, concesso etiam, quod interdum in Nouo Testamento scriptoribus θεοπνεύστοις πορνεία sit res turpis: nequaquam tamen hunc significatum nostro Matthæi loco & parallelis poteris applicare. Etenim tuto supponi potest,

test, *טו ערוה דבר* Deut. XXIV, 1. ex studio magis
 tuendi illicita diuortia, quam regulis boni inter-
 pretis ita exigentibus verti: *או ערוה או דבר* aut
turpitudinem aut rem aliquam, quam peruersam ex-
 plicationem defenderunt Hilleliani & maiori ad-
 huc infania affectæ Rabbi Aquibæ. Legi de eo
 meretur SELDENVS (i) & GEIGER. (k) Coniun-
 genda, quales erant hæ duæ voces constructæ,
 non separari sed coniungi debent interpretando:
turpitudinem rei s. rem turpitudinis i. e. turpem.
 Christus igitur, optimus Scripturæ Sacræ inter-
 pres, non illis, sed hisce adfentiri potuit: „Cum
 „vero is obiectionem Iudæorum Matth. XIX, 7.,
 „quod interpretationem *טו ערוה דבר* attinet, suo
 „quoque fulciat applausu versu octauo: sole clarius
 „est, quod hæc verba dicat ad Schammæ-
 „anos, non vero ad Hillelianos; alias peruersæ Hil-
 „lelis interpretationi calculum suum adiecisset, quod
 „alienum est a veracissimo Deo., Sed quia Christus
 V. 8. rem habet cum Schammæi discipulis, eorum
 tamen doctrinam de diuortio reiicit: sequitur etiam,
 quod, quæ ipse Christus de diuortio præcipit ver-
 su 9. per *παρεκτός λόγος πορνείας*, illa diuersa sint
 a sententia Schammæana. Quæ porro cum fuerit
 hæc: *ob rem turpem aut turpitudinem rei licitum esse*
Diuortium: Christus quoque hanc ob causam di-
 uortia concedere non potuit. Ob *πορνείαν* vero
 Christus diuortium pronunciat iustum: itaque
πορνεία non est idem ac res turpis, conf. Summe

Christus
 loquatur
 cum
 Scham-
 mæanis.

Ergo eius
 sententia
 differt a
 Scham-
 mæana
 opinione.

(i) loc. cit. p. 331. C. XX.

(k) Comment. de Hillele et Scammæi.

responde-
tur SEL-
DENO.

Reuerendus BVDDVS. (l) Minime hoc argu-
mentum destruitur eo, quod SELDENVS exci-
pit: quod, si Christus ne Schammæanis quidem
applausisset, Iudæos doctrinæ Christi plane nouæ
contradicturos fuisse, de quo tamen Matthæus
fileret. Sed an quoque ad vnum omnia, quæ
Iudæi cum Christo egerunt, scriptis tradita sunt?
sapientiæ diuinæ non necesse visum fuit, plura
de eo posterorum memoriæ prodere. Et quic-
quid etiam sit, Iudæis argumentum Christi,
adeo speciosum esse potuit, vt, quod obiicerent,
rimari non potuerint; qua etiam ratione pluribus,
quæ Christus Iudæis contraria docuit, contradi-
cere nequiverunt. Accedit, quod admiratio disci-
pulorum Christi approbare videatur, nouam ad-
huc fuisse Christi de diuortio doctrinam; saltem
nondum me adduxit allatum SELDENI dubium,
vt crediderim, discipulos Christi ab Hilleliano-
rum partibus stantes, ob reiectam a Christo Hille-
lis sententiam aliquantum iratos esse. Siue ita-
que Christus rabbinice aut syriace de hoc locu-
tus sit, siue etiam initio Euangelium Matthæi
hebraice scriptum fuerit, quæ me hic non ferunt
controuersia: firmo stat talo, πορνείαν loco citato
de solo concubitu illicito sumi. Ita de adulterio
consummato nullum superest dubium, quin di-
uortii sit causa iustissima.

II.
quid de
adulterio
præsumto
iuris?

II.) Sed de præsumto plures oriuntur difficul-
tates. Placuit autem viris circumspecti iudicii,
hanc de eo ferre regulam: si certo possit probari,
ani.

(l) loc. cit.

animum vnus coniugis fuisse ius alterius coniugis perfectum adulterio lædendi, quamquam ad actum fœdum nondum peruenerit e.g. si nudus cum nuda in lecto deprehendatur, qui illicitum amorem nondum exercuisset: tunc de matrimonio dissoluendo ius dici posse. (m) Quæ recte sese habere opinor. Pactum enim quoad essentiam satis violatum est, si animo destinauit adulterium: Eiusdem criminis is reus factus est, cuius ille, qui ipso facto mœchatus est: quod enim alius quidam fœdifragum absque huius culpa ab impio scelere impediuerit, id nequaquam nocentem excusabit, conf. BRVCKNER. (a) Sed qualia esse debeant argumenta pro probando Pacti violandi proposito, Ictis diiudicandum reliquitur.

III.) Eidem porro sceleri se alligant, qui Sodomix crimine sese macularunt: Res enim eadem est, excepto quod persona, cum qua rem habuit adulter, diuersa sit: hinc alia demonstratione non opus esse arbitror, quam illa, quæ de adulterio allata est. Non inutilia sunt, quæ hic monemus, aut de figmento quodam dicta. Licet enim vulgo hinc nefandi homines capitis damnentur: fieri tamen posset, vt crimine singulari Principis gratia a diuina Mosis lege recedentis condonato, periculo capitis liberentur.

III.
Huc pertinet Sodomix crimen, a coniuge patratum.

§. XIII.

(m) III. BOEHMERVS in Iure Eccl. T. I. L. II. Tit. XXIV. §. 67.

(a) In Decis. Iur. Matr. C. XVII. §. 52. p. 458.

§. XIII.

Causæ aliæ
adulterio
æquipol-
lentes, quo
pertinet.

IV.
insidiæ
vitæ.

IV.) Quando coniux socii sui vitæ insidias struxit: innocens, si velit, summo iure diuortio quoad vinculum, vti dicunt, separatur. Ita quoque iudicat celeberrimus LANGIVS; (b) plura vero Theologorum orthodoxorum & in his Wittebergenſium consilia collegit BRVCKNERVS. (c) Recte iterum. Namque vno paciscentium a partibus pacti essentialibus resiliente, alter ad seruandum pactum non amplius est obstrictus. (§. 3. nr. 4.) Quis vero dubitare posset, eum, qui paciscentis vitæ insidiatur, pactum non violasse? Violatio maior cogitari nequit, quam quæ fit paciscentis vitam ipsam appetendo: Non modo enim non præstat, quæ pacto in se suscepit, debita, fidem coniugalem: sed etiam committit id, a quo abhorret, qui ne pactum quidem tale iniit. Quis vnquam cum hoste infensissimo pacisceretur, aut pacto continuando vitam suam illi fideret? Huic alia accedit ratio, ob quam pactum est rumpendum, scilicet quoniam nocens illud insidiis suis irritum reddidit. Hoc crimen, si ex Scriptura Sacra diiudicandum, habet in se λόγον πορνείας & deterius est πορνεία, adeoque eius causa recte matrimonium dissoluitur Matth. V, v. 32. §. 10. Omne enim id in se continet λόγον πορνείας, quo pacti matrimonialis essentia violatur: (§. 10.) sed insidiis vitæ struētis hoc fit. (§. 3. nr. 4. & Præcedentia huius §.) Quamquam inimicus talis paciscens pœnitentiam de

(b) Tr. cit. p. 140. §. 14.

(c) Tr. cit. p. 490. §. 20.

de ante actis testatus, vitæ emendationem spondeat: nequitiam tamen pars læsa, ut pacto stet, coerceri potest, cum ad pactum dirimendum sufficiat facta semel illius violatio. Neque etiam adulter spondendo vitæ emendationem id efficit, ut socius pacto priori stare debeat: itaque multo minus, qui necem in coniugem suum machinatur; causa est, quod certus esse non possit innocens paciscentium, quin nocens, semel patrato crimine, aliquando ad eandem se seduci patiatur malitiam.

V.) Qui coniugum, altero plane invito, quocunque etiam modo factum sit, arte sterilem aut incapacem matrimonio se reddit, ut aut sobolem procreare, aut ne debitum quidem coniugale præstare possit, si ambo finem coniugii primarium intendisse præsumuntur, causa est, ut in sui ipsius damnum solvatur coniugium. Procreatio enim sobolis finis ipse est, ob quem coniugium iniuerunt per suppositum. Qui ipsum finem pacti impedit culpa sua, quominus unquam attingi possit, is pactum per definitionem inualidum sua culpa reddit, resilit etiam a pacti partibus essentialibus. Essentialia enim pacti absque dubio sunt illa omnia, quæ in finem ipsum licite consequendum ingrediuntur. At vero qui pactum sua culpa inualidum reddit, & ab eius essentialibus resilit, is alteri paciscenti causam iustam præbet pactum conuellendi. (§. 3. nr. 4. & 5.) Quod demonstrandum erat. conf. BRUNNEMANNVS (a) &

V.
causa di-
uortii.

F

BRVCK-

(a) in Iure Eccles. L. II. C. XVII. p. 659. Addit. ad §. 2.

BRVCKNERVS, (b) qui etiam Theologorum testimonia hocce confirmantia recenset e. g., HVLSEMANNI & SCHERZERI. Aliter vero res sese habet, si quidam coniux non sua, sed alius culpa ineptus est redditus fini coniugum consequendo: quamquam finis non possit hic attingi, nequam tamen ordinarie diuortium concedi poterit, vti quoque illustris BOEHMERVS in lectionibus iuris Canonici docet, & Summe Reuerendus BVDDEVS, (c) item BRVNNEMANNVS. (a) De eo autem, num polygamia simultanea hoc rerum statu permitti possit, quicquam dicere, nimis a scopo nostro alienum foret, videatur tamen BRVCKNERVS. (b) Nam pactum matrimoniale non est violatum, ad quod nimirum culpa & consensus paciscentis requiritur: ergo alter ius perfectum pacto renunciandi non accipit. Optime hoc notandum est contra eos, qui absolute ceu principium diuortii supponunt: *quicquid finem matrimonii facit irritum, id causa est diuortii*. Obseruandum non minus probe, nos nolle hoc dictum esse de impedimento finis matrimonii consequendi, quod ante consummatum coniugium subortum est.

VI.
causa di-
uortii.

VI.) Vltima diuortii causa est, quando coniux non quidem immediate pactum matrimoniale fallit, attamen indirecte & mediate, i. e. committingdo

(b) Tr. cit. C. XVI. §. 6. seqq. p. 430. seq.

(c) Tr. cit. pag. cit.

(a) Tr. cit. pag. 659. Add. §. 2.

(b) Loc. cit. L. XXIII. §. 29. seqq.

tendo tale quid infamia exterminatur. Nam quicunque pactum inualidum sua culpa reddit, sibi referat acceptum, quod foederatus pacto plane renunciet. (§. 3. nr. 5.) Scelus autem, exilio infami puniendum, perpetrando coniux pactum reddit inualidum. Cum enim loco suo cedere debeat; pactum vero matrimoniale firmum esse non possit, nisi vterque coniugum vno eodemque loco habitet: efficit, vt ne finis pacti attingi, adeoque neque ipsum seruari pactum possit. conf. BRVNNEM. (a) Neque enim nocens coniux innocentem, vt simul cum eo vitam inopem imo exilium colat, iure poterit coercere: quoniam huic innocens, dum pactum iniret, non consensit; Iura autem & officia paciscentium ex conditionibus, quas pacto aut tacite aut expresse adiecerunt, diiudicanda sunt. Sunt quidem coniuges, qui per aliquod temporis spatium locis disiuncti viuunt, aut quorum vnus alterius in gratiam locum mutare debet; quorum tamen matrimonium ideo non dirimendum est: ast horum & illorum alia omnino est ratio. Scilicet hi aut tali matrimonio initio statim consenserunt, aut tamen infortunio neque culpa sua hoc accidit: quod autem fortuito factum est, id nemini damno tribui poterit. Approbat hoc Christus suo quoque suffragio Matth. V, 32. Nam quicquid censendum est λόγος πορνείας, illud est causa diuortii. (§. 10. med.) Ast scelus, inuito altero coniuge, commissum idque dignum exilio, λόγος πορνείας censendum est hanc ob rationem,

F 2

nem,

(a) Tract. cit. p. 595.

nem, (cuius euidentiā (§. 10.) demonstrauimus,) quia pacti essentia eo læditur, impediendo, quo minus finis coniugii attingatur & pactum maneat validum (v. §. 13. nr. 3.) & quæ initio huius capituli sexti de eo diximus. Idem non modo de hoc constituerunt *Autores Ritualis Guelpherbyt.* (b): sed etiam nuper Venerandus Theologorum Helmsta- diensium Ordo idem dedit responsum, hac tamen conditione, si nullo modo fieri posset, vt infamis exilii pœna tolleretur. Plura eiusmodi testimonia conf. apud BRVCKNERVM (a) & LANGIVM. (b) Idem iudicium ferendum est de eo, si coniux, in longum temporis spatium ergastulo propter famo- sum facinus dedita, non relegatur.

§. XIV.

Diur-
tium im-
proprium.

eius defi-
nitio.

Pauca huic addenda sunt de diuortio improprie sic dicto. Quo non intillegimus diuortium illud quoad thorum & mensam: nam cum hoc in Scri- ptura Sacra nullum habeat fundamentum, (quate- nus proprie id appellare velis diuortium, neque innuis medium coercendæ sæuitiæ) operæ pre- tium non est, hoc loco quædam de eo edisferere. Intelligimus autem dissolutionem matrimonii ille- gitimi, vel clarius, declarationem Magistratus, quod matrimonium inter coniuges quosdam ini- tium nullum fuerit. Quemadmodum consensus matrimonium facit, non concubitus: ita quoduis impe-

(b) pag.

(a) Tr. cit. p. 429. §. 2. 3. 4.

(b) Tr. cit. p. 141. §. 16.

impedimentum, ob quod matrimonium est nullum, (licebit termino solito vti) quærendum est in defectu consensus. Deest vero consensus varias ob causas: ob defectum iudicii propter infantiam & fatuitatem naturalem: ob errorem, aut mutuum, aut alterutrius ex dolo subnatum: ob ebrietatem insignem, furorem perpetuum, metum grauem iniuste illatum &c. Hinc varia diuortii improprii genera, & cum sæpius impedimentum tale, ex defectu consensus enatum, diu post notum fiat, quum matrimonium iam est initum: quibusdam hoc diuortium improprium videtur esse proprium, qualem etiam errorem errat BRVCKNERVS. (a) Sed diuortium illud omne censendum est improprium, si causa, ob quam matrimonium est dissoluendum, iam ante consummatum matrimonium adfuit: illud vero diuortium proprium est, quando ratio, propter quam matrimonium dirimi debet, demum post consummatum coniugium subortum est. Hic agemus solum de matrimonio, declarando pro nullo ob metum grauem a parentibus cuiusdam paciscentis illatum. Itaque, quando alter coniugum ex graui metu, a parentibus incusso, matrimonium contraxisse dicendus est: dissensus huius coniugis perpetuus fuerit oportet, tum ante benedictionem sacerdotalem, tum post illam. Neque, cum semel recte vterque consensit, alter postea, rerum statu non mutato, iterum

F 3

iterum

(a) Tr. cit. p. 515. §. 6. et alibi passim.

iterum dissentire potest ita, ut hic dissensus matrimonium nullum reddere possit, sed secundum principia rationis & praxin nostram patet omne est ratum atque legitimum in causis matrimonialibus, cum aliquando demum adfuerit consensus duorum in idem placitum constituendæ & tollendæ obligationis causa. Quod autem tali casu alter matrimonium contrahentium matrimonio aut consummando aut continuando obluetur, id magis pro inconstantia animi emendanda habendum est, quam pro impedimento, quo minus matrimonium firmum & validum esse possit. Quare minime causa est diuortii: (1) quando sponsa quædam, quæ tamen aliquando variis sponsæ non coactæ moribus consensum de matrimonio consummando dedit, postea sponsalia irrita esse vult, aut (2) quando post copulam, quam vocant sacerdotalem, concubitus conjugalem initio quidem pati noluit: attamen, postea quam semel (coacte quidem) concubuit, diutius non resistens marito corporis sui copiam fecit, eumque per aliquod temporis spatium amore coniugali amplexa fuit. V. BRUNNEMANN (a) & BRUCK-

NER

(a) Iure Eccl. L. II. C. XVI. §. 3. p. 561.

NER (b) illustris BOEHMER. (c) Quem consensum, semel matrimonio datum, & concubitu confirmatum, fuga vxoris aliquoties facta nequaquam ita penitus tollere poterit, vt coniugium illud pro nullo inde possit declarari, & negari, consensum vnquam coniugum verum adfuisse. Tandem etiam ad matrimonium, ob coactionem parentum diuortio improprio dissoluendum, necessario requiritur, metum a parentibus incussum fuisse grauem, neque tantummodo reuerentialem, vt ita dicam. Metus enim, qui consensus defectum importat, iudicii vsum tollat necesse est, qualis metus inferitur a parentibus verberibus aut grauibz minis, non vero persuationibus. Et cum hæ soleant plerumque desumi inde, quod renitentem prolem pro sua imposterum agnoscere nollent: hæ minæ nequaquam pro metu satis graui iniecto habendæ sunt, sed tum demum, quando parentes erga renitentes liberos reuera curam parentum negligere incipiunt. Fit sæpius etiam, vt metu graui ad connubia ineunda a parentibus alter contrahentium sit coactus, hic tamen libero loco constitutus, quo reclamare libere pote.

(b) Loc. cit. C. XXI. §. 31. p. 563.

(c) Iure Eccl. Prot. Tom. III. L. IV. Tit. I. §. 138. p. 1193.

poterat, suum disensum non testetur benedictione sacerdotali impertienda. Tunc vero is sententiam mutasse, ac sponte nunc consentire iudicandus est. Itaque clare satis apparet, illud matrimonium neutiquam esse nullum, ad quod ineundum sponsa persuasionibus, non vero verberibus & amittenda cura parentum adaeta fuit, (a) aut, (4) si coacta fuit, coram altari tamen, cum potuerit, disensum suum publice non declaravit. conf. BRVCKNERVS (b) & illustris BOEHMERVS. (c)

(a) BRVCKNER Tr. cit. p. 560. §. 19. 20.

(b) L. cit. p. 563. §. 31.

(c) Tr. cit. p. 1192. §. 136.

